

turbam temptationum : sed tamen sperans totum de misericordia ejus, cui dixit : « Legem mihi constitue, Domine. »

XXIII. Et quid ille dicit, qui legem illi constituit? Audiamus et vocem Domini desuper exhortantis nos, consolantis nos; illius vocem, quem habemus pro patre et matre, qui nos dereliquerunt, illius vocem audiamus. Audivit enim gemitus nostros, vidi suspiria nostra, intuitus est desiderium nostrum, et unam petitionem nostram, unam postulationem per advacatum Christum libenter accepit; et donec peragamus istam peregrinationem, qua dilaturus est, non ablatus quod promisit, dixit nobis : « Sustine Dominum. » Non sustinebis mendacem, non eum qui poterit falli, non eum qui non est inventurus quod det. Omnipotens promisit, certus promisit, verax promisit : « Sustine Dominum, viriliter age. » Noli dissolvi: ne sis inter eos quibus dicitur : « Vae his qui perdidérunt sustinentiam¹. Sustine Dominum, » omnibus nobis dicitur, et uni homini dicitur. Unus sumus in Christo, corpus Christi sumus, qui unam illam desideramus, qui unam illam petimus, qui in illis diebus malorum nostrorum ingemiscimus, qui credimus nos videre bona Domini in terra viventium; nobis omnibus, qui unus in uno sumus, dicitur : « Sustine Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » Quid aliud tibi dicat, quam ut hoc repeatat quod audisti? « Sustine Dominum, viriliter age. » Ergo qui perdidit sustentiam, effeminator est, perdidit vigorem. Hoc viri, hoc foeminæ audiant, quia in uno viro vir et foemina. Talis in Christo nec masculus nec foemina est². « Sustine Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » Sustinendo Dominum habebis eum, ha-

¹ Eccl. ii, 16. — ² Gal. iii, 28.

sbebis quem sustinebis. Aliud desidera, si majus, si melius, si suavius inveneris.

ENARRATIO

IN PSALMUM XXVII.

Ipsius David.

I. Ipsiſus mediatoris vox est, manu fortis in conflictu passionis. Quæ autem videtur optare inimicis, non malevolentiae votum est, sed enuntiatio poenae illorum: sicut in Evangelio civitatibus in quibus miracula cum fecisset, neque credidissent ei¹, non malevolentia optat quæ dicit, sed quid eis immineat prædictit.

II. « Ad te, Domine, clamavi, Deus meus ne sileas a me. » Ad te, Domine, clamavi, Deus meus, ne separe unitatem Verbi tui ab eo quod homo sum. « Nequando sileas a me: et ero similis descendantibus in lacum². » Ex eo enim quod æternitas Verbi tui non intermittit unire se mihi, fit ut non sim talis homo, quales sunt cæteri, qui nascuntur in profundam miseriam sæculi hujus: ubi tanquam sileas, non cognoscitur Verbum tuum. « Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te; dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum³. » Cum crucifigor, ad eorum salutem, qui credentes fiunt templum sanctum tuum.

III. « Ne simul trahas cum peccatoribus animam meam, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me: cum his qui loquuntur pacem cum proximo suo⁴. » Cum his

¹ Matth. xi, 20. — ² Psal. xxvii, 1. — ³ Ibid. 2. — ⁴ Ibid. 3.

qui mihi dicunt : « Scimus quia a Deo venisti magister¹. » Mala autem in cordibus suis. » Mala autem loquuntur in cordibus suis.

IV. « Da illis secundum opera ipsorum. » Da illis secundum opera ipsorum , quia hoc justum est. » Et secundum » malignitatem affectionum ipsorum. » Mala enim affectantes , bona invenire non possunt. « Secundum opera » manuum eorum da eis². » Quamvis aliis ad salutem valeat quod fecerunt, secundum opera tamen voluntatum illorum da eis. « Redde retributionem eorum ipsis. » Quia pro veritate quam audiebant, voluerunt fallaciam retribuere; fallacia ipsorum ipsis fallat.

V. « Quoniam non intellexerunt in opera Domini³. » Et unde manifestum est hoc eis accidisse ? Hinc scilicet , « Quoniam non intellexerunt in opera Domini. Hæc ipsa nimirum jam retributio fuit, ut quem malevolo animo hominem tentaverunt, non cognoscerent Deum quo consilio incarnatum Pater misit. « Et in opera manuum ejus. » Nec moverentur ipsis visibilibus operibus, quæ porrecta sunt usque ad oculos eorum. « Destrues illos, et non » ædificabis eos. » Nihil mihi noceant, sed nec conantes rursus adversus Ecclesiam meam erigere machinas aliquid valeant.

VI. « Benedictus Dominus , quoniam exaudivit vocem » deprecationis meæ⁴. »

VII. « Dominus adjutor meus et protector meus⁵. » Dominus adjuvans tanta patientem, et immortalitate protegens resurgentem. « In ipso speravit cor meum, et adjutus » sum. Et refloruit caro mea : » id est , et resurrexit caro mea. « Et ex voluntate mea confitebor illi. » Unde jam consumpto mortis metu, non timoris necessitate sub Lege,

¹ Joan. iii, 2. — ² Psal. xxvi, 4. — ³ Ibid. 5. — ⁴ Ibid. 6. — ⁵ Ibid. 7.

sed libera voluntate cum Lege confitebuntur illi, qui credunt in me : in quibus quia ego sum, ego confitebor.

VIII. « Dominus fortitudo plebis suæ¹. » Non illa plebs ignorans justitiam Dei, et suam volens constituere². Non enim per se fortem se putavit : quia Dominus fortitudo plebis suæ, in hujus vitæ difficultatibus cum diabolo dimicantis. « Et protector salutarium Christi sui est. « Ut eam salvam factam per Christum suum, post fortitudinem bellicam, immortalitate pacis ad ultimum protegat.

IX. « Salvum fac populum tuum, et benedic hæreditatem tuam³. » Interpollo igitur, postquam refloruit caro mea , quia dixisti : « Postula a me, et dabo tibi gentes » hæreditatem tuam⁴. Salvum fac populum tuum , et » benedic hæreditatem tuam : quia omnia mea tua sunt⁵. « Et rege illos, et extolle illos usque in sæculum. » Et rege illos in hac temporali vita, et in æternam hinc tolle illos.

ENARRATIO

IN PSALMUM XXVIII.

Psalmus ipsi David, consummationis tabernaculi¹.

I. PSALMUS ipsi mediatori manu fortí, perfectionis Ecclesiæ in hoc sæculo, ubi adversus diabolum temporaliter militatur.

II. Propheta loquitur : « Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum². » Afferte Domino vosmet-

¹ Psal. xxvii, 8. — ² Rom. x, 3. — ³ Psal. xxvi, 9. — ⁴ Id. ii, 8. —

⁵ Joan. xvii, 10. — ⁶ Psal. xxviii, 1. — ⁷ Ibid.

ipos, quos per Evangelium duces gregum Apostoli genuerunt. « Afferte Domino gloriam et honorem. » Per opera vestra Dominus glorificetur et honoretur¹. « Afferte » Domino gloriam nomini ejus. » Gloriose per orbem innotescat. « Adorate Dominum in aula sancta ejus². » Adorate Dominum in dilatato et sanctificato corde vestro. Vos enim estis regium sanctum habitaculum ejus.

III. « Vox Domini super aquas. » Vox Christi super populos. « Deus majestatis intonuit. » Deus majestatis de nube carnis terribiliter poenitentiam prædicavit. « Dominus super aquas multas³. » Ipse Dominus Jesus posteaquam vocem emisit super populos, et perterritus eos, convertit in se, et habitavit in eis.

IV. « Vox Domini in virtute. » Vox Domini jam in ipsis, potentes faciens eos. « Vox Domini in magnificentia⁴. » Vox Domini magna faciens in eis.

V. « Vox Domini conterens cedros. » Vox Domini contritione cordis humilians superbos. « Conteret Dominus » cedros Libani⁵. » Conteret per poenitentiam Dominus elatos nitore terrenæ nobilitatis, cum ad eos confundendos ignobilia hujus mundi elegerit⁶, in quibus ostendat Divinitatem suam.

VI. « Et comminuet eas tanquam vitulum Libani⁷. » Et amputata superba celsitudine illorum, deponet eos ad imitationem humilitatis suæ, qui tanquam vitulus per ipsam hujus sæculi nobilitatem ad victimam ductus est. « Astiterunt enim reges terræ, et principes convenerunt » in unum adversus Dominum, et adversus Christum » ejus⁸. Et dilectus sicut filius unicornium. » Nam et ipse dilectus atque unicus Patri exinanivit se nobilitate sua; et factus est homo, sicut filius Judæorum ignorantium jus-

¹ Psal. xxviii, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Ibid. 3. — ⁴ Ibid. 4. — ⁵ Ibid. 5. — ⁶ Cor. i, 28. — ⁷ Psal. xxviii, 6. — ⁸ Id. ii, 2.

titiam Dei¹, et superbe jactantium tanquam singularem justitiam suam.

VII. « Vox Domini præcedentis flammam ignis². » Vox Domini per ardorem concitatissimum consequentium se sine ulla sua læsione transeuntis, vel dividentis furentem iracundiam persecutorum suorum, ut alii dicerent: « Numquid forte ipse est Christus : » alii: « Non, sed seducit » populum³: » atque ita præcedentis insanum tumultum eorum, ut alios in charitatem suam trajiceret, alios in malitia eorum relinqueret.

VIII. « Vox Domini commoventis solitudinem⁴. » Vox Domini commoventis ad fidem Gentes quondam sine spe et sine Deo in hoc mundo⁵: ubi nullus propheta, nullus verbi Dei præparator, veluti nullus homo habitaverat. « Et » commovebit Dominus desertum Cades. » Et tunc celebri faciet Dominus sanctum verbum Scripturarum suarum, quod a Judæis non intelligentibus deserebatur.

IX. « Vox Domini perficientis cervos⁶. » Vox enim Domini primo perfecit superatores, et repulsores venenosarum lin-guarum. « Et revelabit sylvas. » Et tunc eis revelabit opacitates divinorum Librorum et umbracula mysteriorum, ubi cum libertate pascantur. « Et in templo ejus unusquisque dicit gloriam. » Et in Ecclesia ejus omnis in spem æternam regeneratus laudat Deum pro suo quisque dono, quod a sancto Spiritu accepit.

X. « Dominus diluvium inhabitat⁷. » Dominus ergo primum inhabitat diluvium hujus sæculi in sanctis suis, tanquam in arca⁸, ita in Ecclesia custoditis. « Et sedebit » Dominus rex in æternum. » Et deinde sedebit regnans in eis in æternum.

¹ Rom. x, 3. — ² Psal. xxviii, 7. — ³ Joan. vii, 12. — ⁴ Psal. xxviii, 8. — ⁵ Ephes. ii, 12. — ⁶ Psal. xxviii, 9. — ⁷ Ibid. 10. — ⁸ Genes. vii.

XI. « Dominus virtutem populo suo dabit¹. » Quia Dominus virtutem populo suo contra hujus mundi procellas et turbines dimicanti dabit, quia pacem illis in hoc mundo non promisit. « Dominus benedicet populum suum in pace. » Et idem Dominus benedicet populum suum, in se ipso illi pacem præstans : quoniam, inquit, « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis². »

ENARRATIO I

IN PSALMUM XXIX.

In finem Psalmus Cantici dedicationis domus, ipsi David³.

I. In finem Psalmus lætitiæ resurrectionis atque immortalem statum mutationis atque innovationis corporis, non tantum Domini, sed etiam totius Ecclesiæ. Nam in superiori Psalmo tabernaculum consummatum est, ubi habitamus belli tempore : nunc autem domus dedicatur, quæ in sempiterna pace permanebit.

II. Christus itaque totus loquitur : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me⁴. » Sublimitatem tuam laudabo, Domine, quoniam suscepisti me. « Nec jucundiasti inimicos meos super me. » Nec eos qui toties variis per orbem persecutionibus me opprimere conati sunt, jucundasti super me.

III. « Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me⁵. » Domine Deus meus, clamavi ad te, et corpus mortalitate saucium et ægrum jam non gero.

¹ Psal. xxviii, 11. — ² Joan. xiv, 27. — ³ Psal. xxix, 1. — ⁴ Ibid. 2. — ⁵ Ibid. 3.

IV. « Domine, reduxisti ab inferis animam meam, salvum fecisti me a descendantibus in lacum¹. » Salvum fecisti me a conditione profundæ cæcitatatis, atque infimi limi corruptibilis carnis.

V. « Psallite Domino sancti ejus. » Exultat Propheta futura ista cernens, et dicit : « Psallite Domino sancti ejus. Et confitemini memorie sanctitatis ejus². » Et confitemini ei quod sanctitatis, qua vos sanctificavit, non est oblitus, cum totum hoc medium tempus desiderio vestro longum esset.

VI. « Quoniam ira in indignatione ejus. » Quoniam vindicavit in vos primum peccatum, quod morte solvistis. « Et vita in voluntate ejus³. » Et vitam æternam, ad quam redire nullis vestris viribus possetis, quia voluit dedit. « Vespere demorabitur fletus. » Vespere cœpit, ubi sapientiae lumen recessit a peccante homine, quando morte damnatus est : ab ipso vespere moras habebit fletus, quandiu in laboribus et temptationibus populus Dei expectat diem Domini. « Et in matutinum exultatio. » Usque in matutinum, quo exultatio resurrectionis futura est, quæ in matutina Domini resurrectione præfloruit.

VII. « Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum⁴. » Ego autem ille populus, qui ab initio loquebar, dixi in mea abundantia, jam nullam patiens egestatem : « Non movebor in æternum. »

VIII. « Domine, in voluntate tua præstisti decori meo virtutem⁵. » Sed hanc abundantiam, Domine, non ex me mihi esse, sed in voluntate tua præstiisse te decori meo virtutem ex eo didici : « Avertisti autem faciem tuam a me, et factus sum conturbatus, » quod avertisti aliquando a peccante faciem tuam, et factus sum conturbatus, recedente a me illuminatione notitiæ tuæ.

¹ Psal. xxix, 4. — ² Ibid. 5. — ³ Ibid. 6. — ⁴ Ibid. 7. — ⁵ Ibid. 8.